

TITULUS XV.

DE APPELLATIONIBUS.

1. APPELLATIO QUID?—2. APPELLATIO AB INTERLOQUUTIONE, ET A SENTENTIA DEFINITIVA.—3. ET 4. UTRISQUE DISCRIMINA.—5. QUIBUS LICEAT APPELLARE?—6. AN APPELLARE OPORTEAT A SENTENTIA NULLA?—7. QUÆ CAUSÆ APPELLATIONEM REJCIANT?—8. FATALIA TEMPORA APPELLATIONIS.—9. QUO TEMPORE INTERPONENDA SIT APPELLATIO?—10. EL 11. QUO PETENDI, ET ACCIPIENDI APOSTOLI?—12. QUO INTRODUCENDA APPELLATIO AD JUDICEM SUPERIOREM?—13. QUOD PROSEQUENDÆ, AC FINIENDÆ APPELLATIONIS TEMPUS SIT?—14. QUID NOSTRIS MORIBUS OBSERVANDUM?—15. APPELLATIO IN DEVOLUTIVO.—16. ET 17. QUIBUS IN CAUSIS TANTUM IN DEVOLUTIVO APPELLATIO DETUR?—18. NEFAS APPELLARE AB EO, QUI TOTI REIPUBLICÆ CUM IMPERIO PRÆEST.—19. JUS APPELLATIONUM HERET IN SUMMA POTESTATE.—20. SUMMA POTESTAS IN ECCLESIA PENES ROMANUM PONTIFICEM.—21. CHRISTUS ECCLESIAE CAPUT, ET EPISCOPOS CONSTITUIT.—22. METROPOLITAS, ET PATRIARCHAS INSTITUIT ECCLESIA.—23. POTESTAS AB ECCLESIA DATA METROPOLITIS, ET PATRIARCHIS, NIHIL DETRAHIT DE POTESTATE A CHRISTO DATA SUMMO PONTIFICI.—24. JUS APPELLATIONUM, QUOD AB ECCLESIA HABENT METROPOLITÆ, ET PATRIARCHÆ, NIHIL DETRAHIT DE JURE, QUOD A CHRISTO SUMMUS PONTIFEX HABET.—25. ET 26. APPELLATIO AD PONTIFICEM OMISIO MEBIO.—27. NUM ALIQUANDO EXPEDIAT AD PONTIFICEM NON APPELLARE?—28. JUS APPELLATIONUM AD PONTIFICEM, IN PRIMATU INSITUM, ETIAM ECCLESIAE LEGE, ET CONSUETUDINE FIRMATUM.—29. PONTIFEX OMNES APPELLATIONES JURE PRIMATUS RECIPIT.—30. DISCRIMEN INTER ORIENTIS, ET OCCIDENTIS APPELLATIONES.—31. PONTIFEX VEL DAT JUDICES IN CAUSIS APPELLATIONUM, VEL EAS IPSE COGNOSCIT.

1.

NE sententia transeat in rem judicatam, neve victo spes omnis eripiat, inventum est remedium appellationis, cujus ope vis editæ sententiæ suspenditur. Est autem appellatio: ab inferiore judice ad superiorem facta provocatio, ut hujus sententia id, quod inique factum est, tollatur, vel emendetur (1). Jure Decretalium alia judicialis, et alia extrajudicialis appellatio est (2); illa emittitur adversus actum judicialem, postquam judicium, citata parte, inchoatum est; hæc adversus quoscunque extrajudiciales actus, sive illatum gravamen, sive inferendum sit, interponitur. Ita contra electiones, postulationes, provisiones (3), et ita etiam si judex de facto, non causa cognita judicet, appellatio permittitur. Quæ extra judicium appellationes fiunt, magis provocationes ad causam sunt (4).

(1) L. 7 ff. de Minor., L. 4 ff. de Appellat., C. 45 eod. Liceat appellatori, inquit capitularia Caroli M. l. 7 c. 553 apud Baluzium capitularia Reg. Franc. t. 4 col. 755 ed. Ven. cit., *viliatam causam appellationis remedio sublevare*. Quoniam appellatio ab inferiori ad superiorem interponenda est, quæri potest, num à judicis dati sententia appellari possit, qui eum dedit;

et num à sententia judicis, cui mandata est jurisdictio, recte appelletur, qui eam mandavit. Sed dantem appellari posse, demonstrant Ulpianus in L. 4 §. Si quis ff. de Appellat., et Modestinus in L. 5 ff. Quis à quo appellet., mandantem vero non posse, respondit Ulpianus in L. 1 §. Ab eo ff. Quis à quo appellet. Discriminis ratio est, quod qui judicem dedit, censetur retinuisse, non alienasse jurisdictionem: verum ea se abdicasse videtur, qui jurisdictionem suam alteri mandavit. Ea de causa à judicio vicarii generalis Episcopus appellari non potest; quoniam illi omnis ab hoc mandata est jurisdictio, et utriusque tribunal unum, idemque est. Consule Cornelium Bynkershoek. Observat. Jur. Roman. l. 6 c. 25 opp. t. 2 p. 254 ed. Lugdun. Batav. 1750.

(2) Cap. 5 de Appellat., C. 8 eod. in 6. Clem. 3 eod.

(3) Cap. 21 de Elect., C. 44. 9 et 20 eod. in 6 C. 8 de Appellat. in 6.

(4) Cap. 5 de Appellat. Cujus observationis utilitas in eo est posita, quod non statim ad superiorem confugere oporteat, sed ad eum judicem, qui de illato damno in prima instantia cognoscere potest, quod minime fieri posset, si proprie dicta esset appellatio.

(N. S. Adpellationis veluti fundamentum simul, ac inchoatus in eo constitui posse videtur, ut sit *querela de Judicio lato*; cujus tamen exterior forma non una semper eademque, sed triplex.

1. Quum sententia non à legitima, et competenti potestate, non servato substantiali juris ordine, non ad normam recepti Ecclesiastici Canonis lata sit: sed vel ab exauctoratis Episcopis, vel Reo non citato, non audito, vel per vim, per fraudem, auro subornatis, corruptis, male instructis ad criminandum testibus, à Synodo mandatum judicibus, vel demum quum ad normam illegitimi Concilii sententia pronuntiata fuerit, tunc ad Primatem, ad Patriarcham, vel extremo ad Summum Pontificem, querela deferretur, qua id propositum, postulatumque, non ut causa de integro ageretur, aut judicium discenteretur, sed ut inspecta judicii forma, nimirum incompetenti judicium potestate, inverso juris ordine, vi, fraude, malis artibus intermixtis etc. judicium irritum declararetur, pœna remitteretur, communitio restitueretur, gradus honoris, et potestatis agnosceretur. Hæc usitata, ac frequens apud veteres Adpellationis species est, quam etiam proprie *Confugium* vocabant.

2. Quum ab Episcopi sententia non tanquam incompetente, non tanquam violenta, non tanquam inverso juris ordine, vel ad normam illegitimi Canonis lata, sed tanquam injusta, inspecto causæ merito, querela deferretur; tunc à minori ad majorem auctoritatem causa ipsa devolvebatur, ab Episcopo ad Synodum, à Synodo breviori ad pleniorum, prout causæ conditio postulabat. Profecto ab Ecclesiæ incunabulis, ubi non plene exerta, et explicata Hierarchiæ munia, officia, et gradus omnes, ubi omnia in Synodo negotia, judicia, causæ peragebantur, extra Synodum nihil; tunc sane si quis in aliqua causa judicatus, se læsum putaret, ab Episcopi sententia ad Synodum, vel à Synodo breviori ad pleniorum ipsi appellare licebat, et judicium quidem renovabatur, ab quo tamen priores judices non exclusi, sed cum aliis vicinioribus Provinciæ Episcopis et primi adsidebant, ut in communi potius revisio causæ fieret, quam judicii retractatio. Frequens et hæc Adpellationis species apud veteres: quam usitatori vocabulo *Provocationem* nuncupabant.

3. Demum ubi constituta, explicataque omnis Hierarchiæ amplitudo est, et munia, gradusque distincti, tunc adpellationum forma ad normam Civilium Legum, et Tribunalium constituta est, qua nempe et agnoscitur legitima judicis inferioris potestas, et Superioris auctoritas imploratur, nec de incompetenti, aut de violenta, vel intolerabili sententia, sed de sententiæ tantum errore defertur querela; quæ quidem et extra Synodum constitutis Judi-

cibus, erectisque in Episcopis Curiis, veluti Ordinariis Tribunalibus, recepta, discussa, definita esse solebat. Hæc Adpellationis species strictiori notatione, etiam usu Decretalium, à nostris hodie dum *Adpellatio* dicitur.

2. Judicialis appellatio duplex est, alia, quæ contra interloquutionem, alia, quæ contra sententiam definitivam emittitur. Appellationem ab interloquutione Jus civile non probat (1); nisi ei vis definitivæ sententiæ sit, aut nisi ab ea illato gravamini nullum aliud adhiberi remedium possit (2). Sed canones ante Tridentinam Synodum editi appellationem permittunt tum à sententia, tum à quavis etiam simplici interloquutione, qua judicialia acta ordinantur (3). Verum cum Patres Tridentini plane intelligerent, sæpe ad vexandos longa frustratione litigantes appellationes interponi, sapienter statuerunt, ut his appellationibus tantum detur locus, cum interloquutio vim habet sententiæ definitivæ, aut cum magnum attulit gravamen, quod per appellationem à definitiva removeri non potest (4).

- (1) L. 7 cod. Quor. appellat. non recip.
- (2) L. 7 et 40 ff. de Minor. XXV an., L. 2 ff. de Appellat. recip.
- (3) Cap. 1 de Dilat., C. 9, C. 15, C. 20 de Appellat. C. 1 eod. in 6.
- (4) Concilium Tridentinum Sess. 15 c. 1 et Sess. 24 c. 20 de Reform.

3. Inter appellationem, quæ à definitiva, et quæ ab interloquutione fit, magnum discrimen intercedit. Principio appellatio à definitiva jurisdictionem suspendit iudicis, unde appellatum est (1); sed non idem efficit appellatio ab interloquutione, nisi ea irreparabile damnum afferat, aut inferior iudex appellationi detulerit, aut iudex superior dederit inhibitionis literas (2), quas minime dat, nisi primum justam appellationis causam deprehenderit (3). Imo exspirat hæc appellatio, si ipse iudex inferior damnum per simplicem interloquutionem ab se illatum corrigat (4).

- (1) L. 3 cod. de Appellat. C. 7 eod. in 6.
- (2) Cap. 10 de Appellat., C. 5 et 7 eod. in 6, C. 2 de Dol. et contumac. in 6.—Leg. 15 tit. 25 *Partitæ III*; leg. 25 tit. 20 lib. 11. *Novis. Compilat.*
- (3) Cap. 5 et 7 de Appellat. in 6.
- (4) Cap. 60 de Appellat.

4. Item appellatio ab interloquutione scripto comprehenditur, eoque exprimenda est appellationis causa (1). Cum enim definitivam mutare iudex non possit (2), interloquutoriam possit (3).

patefacienda est causa, propter quam hæc emendari possit, ac debeat. Contra à definitiva, si illico (4) apud acta appellemus, etiam viva voce appellamus (5); quamquam libello opus sit, cum ex intervallo appellatio interponitur (6); neque necesse est appellationis causas exprimere (7). Denique cum à definitiva appellatur, jus est litiganti novis uti probationibus, et causas etiam non expressas iudicio persequi (8); sed qui appellat ab interloquutoria non alias causas prosequitur, quam nominatim dumtaxat expressas (9), neque novis utitur probationibus.

(1) Cap. 1 et 9 de Appellat. in 6. Emmanuel Gonzalez in c. 59 n. 12 de Appell. tria distinguit tempora, nimirum tempus Anacleti, tempus Innocentii III, tempus Innocentii IV. Anacletus Can. 3 c. 2 qu. 6 *omnis oppressus*, inquit, *libere sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium*. Ex verbo libere colligit Gonzalez, olim tam à definitiva, tum ab interloquutoria, nulla expressa causa, appellari potuisse. Deinde Innocentius III, in c. 61 §. 1 de Appellat. ab interloquutione appellari *probabili causa* verbo etiam *exposita* voluit. Denique Innocentius IV causam scripto proponi jussit in cit. c. 1. Verum Anacleti epistola in cit. can. 3. Isidori Mercatoris figmentum est.

- (2) L. 55 ff. de Re judic.
- (3) Cap. 60 de Appellat.
- (4) L. 14 cod. de Appellat., L. 2 ff. eod.
- (5) Satis erit, si dicatur *Appello*; inquit cit. L. 2.
- (6) V. leg. 22 tit. 25 *Partit. III*. Verum moribus jamdiu in utroque Hispaniarum foro inductum est, ut nonnisi in scriptis proponatur appellatio—N. S.)
- (7) L. 1 §. ult. ff. de Appellat.
- (8) L. 2 ff. eod.
- (9) L. 4 cod. de Temp. et reparat. appellat.

5. Appellare possunt non tantum ii, qui damnati iudicis sententia damnum pertulerunt, sed etiam omnes, quorum interest, sententiam infirmari (1). Ita recte provocat fidejussor, si debitor victus iudicium deserat, itemque venditor, contra quem regressum habet emptor, si hic, postquam causa cecidit, ab ea desistat. In communi causa unius appellatio, quæque eam sequitur, victoria ceteris etiam prodest litis consortibus, qui non appellarunt (2).

- (1) L. 4 ff. de Appellat., can. 30 c. 2 qu. 6, c. 16 §. 1 de Elect.
- (2) L. 1 et 2 cod. Si unus ex plurib. appellav., c. 72 de Appellat.

6. Nec solum nostro, sed et procuratorio nomine appellamus (1); quin alium etiam ab eo, per quem iudicium egimus, procuratorem ad appellandum constituere possumus (2). Nihil

autem attinet appellare, cum sententia nulla est, quoniam appellatio pertinet ad sententiam, quæ iniqua quidem est, sed tamen valet, ideoque infirmanda, ut iniquitas corrigatur; verum sententiam per se nullam infirmare supervacaneum est. Ergo inutilis est appellatio, si ab incompetente iudice (3), aut à competente quidem, sed neglecto juris ordine (4), aut contra expressam legem (5) sententia lata sit. Atque ita contra has sententias satis est nullitates proponere, ut iis expensis, atque probatis, nulla earum ratio habeatur (a). Usu fori hæ sententiæ, quæ nullæ sunt, *circumscribi* dicuntur, hoc est è medio tolli, et abrogari; id vero fit imperio principis, qui nisi primum extinxerit, ac deleverit sententiam, ea semper in iudicio rata firma censetur.

(1) L. 2 ff. Quand. appell.

(2) L. 4 in fin. ff. de Appellat.

(N. S. Non auditur, qui pro alio appellat, nisi forte id præstet pro reo, qui ultimo supplicio adficiendus sit: hoc enim casu licet civi, etiam Clerico, ac Monacho, appellationem interponere: leg. 6 Dig. hoc tit.; et leg. 6 Cod. de Episc. audientia. Id etiam juris obtinebat quondam in Hispania, leg. 6 ejusd. tit. 23 Partit. III. Sed hodie sic appellans, certe non audiretur).

(3) L. ult. cod. si à non competen. judic.

(4) L. 4 cod. de Sentent. et interloq.

(5) L. 1 §. 2 ff. Quæ sentent. sine appellat. Capitularia Caroli M. l. 7 c. 249 t. 1 col. 720 ed. Baluzii Ven. 1772, in carcerem detrudi jubent iudicem, qui oblatas sibi in iudicio leges, vel juris species audire noluerit, et contra eas judicaverit, atque hujus facinoris convictus fuerit. His autem capitularibus antiquior Chlotharii Regis constitutio edita circa annum 560 n. 60 apud Baluzium cap. Reg. Franc. t. 1 col. 7 cit. ed. jubet, Episcoporum imperio castigari iudicem, qui aliquem contra legem injuste damnaverit. Huc etiam referenda est Græca constitutio Justiniani apud Contium prætermis. clas. 1 p. 295 ed. Neap. 1725.

(a) (V. leg. 4 tit. 26 Part. III. Hisp. Jure, 60 dies à prolata sententia ad xponendam militatis exceptionem dumtaxat conceduntur: leg. 1 tit. 12 lib. 1 Novis. Compilat.—N. S.)

7. Quædam vero causæ sunt, quæ omnem appellationem rejiciunt, vel quod celeriter expediendæ sunt, vel quod appellatio potius ad retardandum iudicium, quam ob justam causam interposita videtur. Ergo frustra provocant qui sententiam quoquo modo probarunt (1), vel se non appellaturos jurati promiserunt (2), qui testibus, et argumentis convicti, crimen confessi sunt (3), qui ob veram, non fictam contumaciam damnati sunt (4), denique illi, contra quos tres conformes sententiæ latæ sunt (5). Similiter non datur appellatio in manifestis, sive notoriis (6), in iudiciis remota appellatione actis (7), in causis modicæ sum-

mæ (8), à sententiæ executione, nisi ille, quem tenere oportebat, modus superatus fuerit (9), in causis disciplinæ, et emendationis morum (10), nisi ea res præter modum acta sit (11).

(1) Cap. 20 de Offic. et potest. delegat., ubique Glossa verb. recessum.

(2) Cap. 20 et 21 de Appellat.

(3) Cap. 5 §. Si autem de Appellat. in 6, ibique Glossa v. In jure, can. 41 §. Nullus etiam c. 2 qu. 6, L. 2 cod. Quor. appellat. non recip.

(4) L. 23 §. Ult. ff. de Appellat., ibique Glossa v. Non recte, L. 55 ff. de Re judic., ibique Glossa v. Litis damno.—* Leg. 9 tit. 25 Part. III.*

(5) Ante Justinianum semel tantum provocare licebat; post Justinianum etiam bis provocare licet: L. unie cod. Ne liceat in una ead. caus. Eamdem hæc regulam proponit Clemens III. in c. 59 de Appellat. Sed statuta plurimarum gentium redierunt ad jus antiquum, ideoque apud eas nunc semel tantum appellatio permittitur, quoniam non tres, uti fert Jus Commune, sed duæ sententiæ rem judicatam efficiunt. Atque hoc quidem jus est, quo Romæ utimur.

(N. S. Ubi tres sententiæ conformes habeantur, adpellationi locus amplius non erit, tum Jure Civili, tum Canonico, tum etiam Jure Hispano: leg. 25 tit. 23 Partit. III, leg. 2 tit. 21 lib. 11 Novis. Compilat.)

(6) Cap. 5 §. ult. et c. 61 §. Porro de Appellat., c. 5 §. Si autem eod. in 6.

(7) Cap. 55 de Appellat. c. 4 de Rescript. c. 15 de Offic. et potest. Jud. deleg.—* V. Berardi in Jus. Eccl. Univ. t. 1 dissert. 2 cap. 2, §. Consueverunt aliquando.*

(8) Consule Cornelium Bynkershoek. Obs. jur. Rom. l. 5 c. 4 opp. t. 2 p. 17 et seq. ed. Lugd. Bat. 1750. Apud nos in causis, quæ pertinent ad Urbem Romam, ejusque terminos, et territorium, sive, ut vocant, *districtum*, quæque summam non superant scutorum 50, *recursus*, ut vulgo loquimur, non appellatio conceditur. Extra Urbis terminos appellatio tantum datur in causis scutorum centum, *recursus* in ceteris; in his vero causis, quæ non superant senta quinque, neque appellatio neque *recursus* datur, sed victus in una sententia acquiescat necesse est.

(9) L. 5 cod. Quor. appellat. non recip. c. 15 de Sentent. et re judic., c. 45 de Appellat.

(10) Cap. 5, 26, 52 eod.

(11) Cap. 15 de Offic. judic. ordin., c. 5 de Appellat.

(N. S. Rejeitur Adpellatio Regularium, quos Abbas correxerit, levibusque legitimis pœnis multaverit: cap. 3 hoc tit.—Qua de re Carolus II Sanct. 4 cap. 55 tit. 4 lib. 4 vulgo *Autos Acordados*, in Apostolici Nuntii Tribunali adpellationes Regularium ab iis, quæ ad disciplinam *intra claustra* Superiores præcipiunt, non esse admittendas decrevit: leg. 1 tit. 26 lib. 1; 5 tit. 4 lib. 2 Novis. Compil.

Appellatio non recipitur, quum vel *generalis* sit, qua scilicet quis provocet ab omni causa, quæ contra ipsum moveri possit: Cap. 2, et 18 hoc tit.; vel *incerta*, qua scilicet quis absolute dicat *Adpello*, nec explicet, num e. g. ad Metropolitanum, an vero, *omisso medio*, ad Papam adpellet—Aliis vero placet, non requiri, signanter nomen Judicis *ad quem* exprimere, sed sat esse, quod adpellans dicat: *Adpello ad Superiorem*. Quamobrem stylus utriusque Fori apud Hispanos hæc clausulam in libello adpellationis invenit: *Adpello ad N., vel ad quem jure possum, et debeo*: quod probavit Alphonsus Sap. leg. 12 tit. 25 Partit III.)

8. Appellatio proponenda est intra legitima tempora, quæ vulgo *fatales dies* (1) appellantur, quoniam eorum lapsu, quasi fato quodam, appellatio perimitur. Ea tempora quatuor numero sunt. Primum est tempus interponendi appellationem; alterum petendi, atque accipiendi libellos dimissorios; tertium introducendæ appellationis apud judicem superiorem; quartum denique tempus est, intra quod litigator prosequi, ac finire appellationem debet.

(1) Fatalium dierum mentio est in L. 52 cod. de Appellat., et in L. 2 et ult. cod. de Tempor. et repar. appellat. Fallitur autem egregie Bodinus de Republic. l. 5 c. 6 n. 524, qui nullum veterum ea tempora appellationi præfinita, *fatales dies* vocasse putat; eaque potius *statores dies*, *statum tempus* appellanda esse contendit. Errorem ortum esse arbitratur ex iis, qui leges Codicis, et Novellarum in Latinum sermonem verterunt. Bodinum refellit, et exagitat Cujacius ad tit. 65 cod. l. 7 opp. t. 9 col. 1044 ed. cit., ubi præclarum habes doctissimi viri de hoc homine iudicium. Fatalis dies etiam *temporalis* dicitur in L. 52 c. de Appellat. Consule Cujacium Observ. l. 42 c. 4 opp. t. 5 col. 507 ejusd. ed.

9. Jure Digestorum, et Codicis, appellationis interponendæ tempus biduum erat in causa propria, in aliena triduum (1); sed postea Justinianus cuilibet, qui appellare vellet, decem dierum spatium concessit (2). Justinianum jus Innocentio III. probatum est (3), idque tum in judiciali, tum in extrajudiciali appellatione servandum esse, Bonifacius VIII. constituit (4). Hoc tempus in sententiis labi incipit à die latæ sententiæ, in aliis actibus ex ipso actu unde appellantur (5). Quod ita accipiendum est, si adversus præsentem fuerit pronunciatum; nam si adversus absentem, hujus temporis initium repetitur non à die, quo lata est sententia, sed à die quo quis ejus rei certior factus est (6).

(1) L. 1 §. 5, 6, et 11, L. 2 ff. Quand. appellat., L. 6 §. 5 cod. de Appellat.

(2) Novel. 25 c. 1, Auth. hodie cod. de Appell.

(3) Cap. 15 de Sentent. et re judic.

(4) Cap. 8 de Appellat. in 6.

(5) L. 1 §. Biduum, et §. Quod in sententiis ff. Quand. appellat.

(6) Cit. L. 1 §. ult., et c. 8 de Appell. in 6, ubi cum dicat Bonifacius *infra decem dies, postquam sciverit*, perspicuum est, quod recte vulgo dicitur, appellationis interponendæ tempus initio utile, deinceps vero continuum esse.

(N. S. Idem quoque decem dierum spatium adpellationi præfixerat Alphonsus Sap., leg. 22 tit. 25 Part. III: verum recenti Hispaniarum jure ad quinque tantum dierum restrictum est in Foro laicali, sive à definitiva, sive ab interlocutoria sententia: leg. 1 tit. 20 lib. 11. *Novis. Compilat.*)

10. Post appellationem interpositam, literæ dandæ sunt ab eo à quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cognitus est (1). Quæ literæ dicuntur apostoli, à græco quodam verbo, latine *dimitto*. Sunt enim literæ datæ à judice, qui sententiam edidit, per quas causa dimittitur ad eum, qui appellatus est (2). Harum literarum non unum genus. Nam si appellationem interpositam, et admissam fuisse testentur, *dimissoria* dicuntur; *reverentiales* autem, si ob superioris reverentiam, probatam appellationem ostendant, non quod eam causa postulare videatur; postremo si testentur, eam esse rejectam, *refutatoria* appellantur. Interdum Judex non satis intelligit, num concedenda sit appellatio, an secus; et tunc concedit *testimoniales*, quæ vim accipiunt à jure, ideoque suspendunt causam, si danda appellatio erat, rejiciunt autem, si erat deneganda. Quin etiam litigantium alter sæpe interpositæ appellationi assentitur; et tunc, quia partes ipsæ de appellatione conveniunt, dicuntur apostoli *conventionales*.

(1) Verba hæc sunt Marciani in L. un ff. de Libel. dimiss. eaque descripsit Gratianus in Decreto can. 31 c. 2 qu. 6. Tam ipse Gratianus formulam proposuit apostolorum his verbis: *Ego ille Sanctæ Bononien. Ecclesiæ Episcopus, te Presbyterum Rolandum, Capellanum S. Apollinaris, ad Apostolicam Sedem, quam appellasti, ab observatione mei iudicii his apostolis dimitto.*

(2) L. 106 ff. de Verb. signific.

11. Antiquo jure petebantur, accipiebantur, et reddebantur apostoli intra diem quintum post interpositam appellationem (1); jure novo intra dies triginta à lata sententia petendi, et à judice, à quo appellatur, litigantibus exhibendi sunt (2). Quin judex etiam non petenti apostolos dare debet (3): verum hi sunt petendi, si ille officii sui partibus non satisfaciat. Petuntur autem *instanter*, et *sæpius*, ne quis se appellationis beneficio abdicasse videatur (4). Nam qui intra tempora præstituta apostolos non petiit, accepit, reddidit, præscriptione repellitur (5); hoc autem tempus judex contrahere potest, producere vero non potest (6). Sed nunc fere nullus in foro est apostolorum usus (7), ac per libellum appellationis intra decedum in actis exhibitum appellatio interponitur.

(1) Paulus Recept. sentent. l. 5 tit. 34 §. 1 apud Schultingium Jurisp. vet. Ante-Justinian. p. 555 ed. Lipsiæ 1757, quem Pauli locum descripsit Gratianus can. 24 c. 2 qu. 6.

(2) L. 24 cod. de Appellat., c. 6 eod. in 6. Verba illa *Ex die sententiæ*,

quæ occurrunt in cit. l. 24, forte à Triboniano addita sunt; certe non extant in l. 52 cod. Theod. de Appellat., unde l. 24 desumpta est. Eodem tamen modo tempus illud æstimatur in l. 29 cod. Theodos. eod. Atque ea quidem verba *Ex die sententiæ*, multi ita accipiunt, quasi scriptum sit à *die scientiæ latæ sententiæ*; quæ opinio verior esse videtur. Consule Schultingium in Paul. l. c., et Cajacium in l. 5 cod. de Appellat. opp. t. 9 col. 1056 seq. ed. cit.

(N. S. Hos quidem triginta dies ab ipso interpositæ adpellationis, non à prolata sententiæ tempore computandos, voluit Sanctius Ajerbe in Collect. Tarracon. Lib. 2 tit. 7 cap. 1).

(5) L. 6 §. ult. cod. de Appellat.

(4) Cap. 6 de Appellat. in 6, Clem. 2 eod.

(5) Paulus l. c. §. 2 Atque hæc causa est, propter quam Modestinus in libro singulari *de Præscriptionibus* egerit de apostolis l. 106 ff. de Verb. signific. Tantum præscriptione ab agendo submoveri vult Paulus loc. cit. eum, qui intra tempora præstituta apostolos non petiit, accepit, reddidit, sed in libris quibusdam postremo additur, quod is *et pœnam appellacionis inferre cogitur*, quæ verba Gratianus etiam descripsit in cit. can. 24 caus. 2 qu. 6. Sed Cujacius in Paul. l. c. opp. t. 1 col. 461 ed. cit., et Schultingius eod. loc., hanc lectionem improbant.

(6) Cap. 5 de Appellat.

(7) Confer Voetum in Pandect. l. 49 tit. 6 n. 2.

(N. S. In neutro tamen Hispaniarum Foro admittitur adpellatio, neque literæ expediuntur, quarum vi inferioris judicis Acta transmitti jubentur, quin Testimonium authenticum exhibeat adpellans, in quo litis, et sententiæ latæ natura patebat: leg. 5 et 18 tit. 20 lib. 11 *Novis. Compil.*; id quod in Apostolici Nuntii Tribunali præsertim observari voluit Sanct. 6, cap. 5 tit. 8 lib. 1 vulgo *Autos Acordados*: leg. 2 tit. 4 lib. 2 *ibid.*)

12. Acceptis literis dimissoriis, qui appellavit majori judici sistere se præsentem debet, eique literas offerre, quod jure civili non eodem temporis spatio, pro varia locorum, et judicium ratione, faciendum est (1). Varium hoc jus gentium moribus servari vix potuit; nihil autem certi de eo tempore à Decretalibus constitutum est. Quare tota res pendet ab arbitrio judicis, à quo provocatur (2), et alicubi hoc tempus municipali jure definitum est. Exhibitis vero superiori judici literis dimissoriis, appellans instat, ut appellatio recipiatur, adversarius ad certum terminum citetur, inhibeatque judex, à quo provocatum est (3).

(1) L. 1, 2, et ult. cod. de Tempor. appellat.

(2) Cap. 5 et 55 de Appellat., Clem. 4 cod.

(3) Citationes typis Cameræ impressæ, quas vulgo camerales dicimus, quamquam eæ à nullo Romanæ Curie judice subscriptæ sint, vim inhiibendi habere, sancivit Benedictus XIV, Constit. *Romanæ Curie* 115 §. 5 t. 1 ejus Bullar. p. 235 ed. Rom. seu Ven. 1754.

13. Denique prosequendæ ac finiendæ appellacionis tempus

est annus unus, (a) atque ex justa causa etiam alter (1). Qua in re juris civilis, et canonici magna consensio est. Verum unde id tempus ex jure civili initium sumat, non satis constat; sed jus canonicum hoc initium ab interposita appellacione repetit (2), quod etiam civilis fori usu receptum est.

(a) * Leg. 5 tit. 20 lib. 11. *Novis. Compilat.**

(1) Auth. ei qui et L. ult. §. 4 cod. de Tempor. appellat. Clem. 5 eod.

(2) Cap. 8 de Appellat. Clem. 5 cit.

(N. S. In utroque tamen Hispaniarum Foro, sicuti apostoli seu prolata sententiæ testimonium, ita et hi fatales dies adhuc obtinent, adeo ut si tempus adpellationis prosequendæ fortassis fuerit elapsum adpellanti, prolata sententiæ stare tenebitur, nisi justum accessisse impedimentum probaverit: ex legg. 4 et 5 tit. 20 lib. 11 *Novis. Compil.*

Neque *apostoli* nec fatalis tempus ad decidendam appellacionem, in præsentem obtinent. Cum Barcinon. Selvag. Adnot., alibi observavimus, Reg. ordinat. 10 Aprilis 1856, in inferioribus curiis ecclesiasticis, ut in sæcularibus, appellaciones cum duplici effectu admitti voluisse, servatis in ceteris civilis juris sanctionibus: necnon, ex alia simili disposit. 15 Februarii 1855, easdem eccles. curias, appellacione vel alio quolibet recurso interposito, originalem processum ad superiorem judicem mittere teneri.*

14. Nostris moribus intra biennium appellacionis negotium expedire oportet. Primo anno causa committitur judici, quem quis appellavit, altero *transportanda* sunt acta, ut pragmatici loquuntur; nimirum exemplum actorum, et documentorum, quæ priori judicio gesta dataque sunt, exhibendum est coram altero judice, ad quem postremo itum est. Qui intra primum annum alteri judici causam committere neglexit, is ne alterius quidem anni beneficium habet ad acta exhibenda; verum id præstare debet intra tempus à judice definitum. Quare curandum est, ut suo anno utrumque fiat, quique id ob justam causam præstare non potest, ampliandi facultatem à judice petit, antequam constitutum tempus elabatur.

15. Appellatio legitime interposita (1) jurisdictionem suspendit judicis inferioris, causamque defert ad superiorem, qui appellatus est (2). Quare interim, dum appellatio pendet, nihil amplius in causa inferior judex agere potest; et si quid egerit, cuncta à majore judice ad pristinum statum rediguntur (3). Verum cum hæc suspensio sententiæ, ejusque executionis in causis quibusdam minus congruens, et apta videretur ad rectum ordinem rerum, merito receptum est, ut sententiis quibusdam suspensiva vis adimatur: propterea fit interdum, ut quamquam sit appellatum, tamen sententia exitum obtineat, et postea cau-